



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Evsebii Nierembergii Madritensis Ex Societate
lesv De Adoratione In Spiritv Et Veritate Libri Qvatvor**

Nieremberg, Juan Eusebio

Antverpiæ, 1631

Cap. X. De contemptu & recessu mundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46187)

54 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
infinitos annos inferni supplicia , etiã me
aliqua creatura illud committeret: quantum,
Domine, deberem desiderare pro meo pro-
fectu, & ne committerem ego illud? & tam
parum nihilominus sollicitor pro gloriã tuã.
Nihil aliud deberem facere, nisi votis, preci-
bus, suspiriis, lacrymis, ad hoc anhelare; &
cũ re nihil magni efficere possim, compa-
ratione magnitudinis tuã, desiderii curare
excedere imbecillitatem meam, & supplere
paupertatem propriam.

CAPVT X.

De contemptu & recessu mundi.

NON solũ tristitia mundi, sed & gaudia
luctuosum & noxium finem habent: ac
in virtutis viã non solũ lætitia, sed mœror
ipse & tristitia gaudium summum continent,
& obtinent. Quid tristaris & tepefis in viã
spiritus? Cum magno tuo periculo diligis, si
quidquam mundi amas: imò tua optas peri-
cula, vbi adhuc ipsa bona quæ pretiat, sunt
mala, & corrupta, & te corrumpentia. Si
modicum fermenti totam massam corrup-
pit: quid illi sanum & azymum erit, qui
mundo miscetur, vbi tota massa corrupta, &
fermentum est; vbi solũ boni putantur
qui sunt mali, & mali sunt plurimi? Qui se-
mel

mel mortuus est mundo, caueat ne postea moriatur Deo, rediuiuus mundo; & aliquid terrenum exoptet, licet non possideat nec fruatur. Plus nocere solet amor temporalis rei, quam possessio & vsus: non res, sed affectio nocet nobis, quæ vehementior est carenti. Ne sis, iuxta sanctum Iudam, arbor bis mortua & infructuosa. Mundo moritur, qui è mundo egreditur: Deo moritur, qui ad mundum regreditur. Hic postquam amisit fructum & commodum mundanæ vitæ, rursus amisit fructum spiritualis; ideò omnino inutilis, & sibi sine fructu vlllo. Eum qui mortuus est, mundus non patietur. Pelagus est mundana vita: mortuos mare non sustinet, sed intra triduum eiicit.

Caue ne fallaris, si nunc cum non tractas mundum, putas esse bonum: memento fuisse malum, cum illum tractabas, & non à longè noueras; propterea illum fugisse. Crede magis experientiæ tuæ certæ, quam opinioni fallaci: crede magis tibi testi oculato, quam absenti. Scito non esse mutatum, postquam inde discessisti; nec meliorem tempore factum, nec securiorem de die in diem fieri, sed peruersiorem indies. Quotidie labitur: ætate plus delirat; maiorem error auctoritatem senectute obtinet: purioris vetustate malitiæ vinum propinat: annis magis præscribunt vi-

56 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
tia; excitantur quotidie noua. Quia erat
malus mundus, tolerare non potuisti: nunc
cùm deterior est, cur vis amplecti? Ipsis mun-
danis, qui illum constanter & fideliter ama-
runt, intolerabilis est & infidus, & de illo
queruntur: qualis erit tibi, qui ab eo, & à Deo
defecisti, utriusque infidus. Quare ut fugituum
mundus te flagellabit, & Deus ut perfidum
non te defendet. Maior ratio te constringit
modò ne regrediaris ad desideria mundi,
quàm fuit egrediendi: at saltèm eadem sunt
causæ, quæ fuerunt recedendi ab illo. Dece-
ptus sibi est & cæcus, tibi fallax, vilis in se; de-
spiciendus, tametsi alicuius pretij fuisset, quia
maxima bona impedit, & cruciat amatores
suos; vndique periculis refertus, non solum
ipsarum rerum temporalium, sed, quod plus
est, æternorum bonorum. Totus est menda-
cium: nam præter malitiam & inclinatio-
nem ad fallendum, ipse in se est deceptus; ut
etiam cùm non velint homines mundani
fallere, te fallent. Ipsa sapientia mundi, stul-
titia est. Quomodo in illo videbitur veri-
tas, vbi etiam ipsum lumen sunt tenebræ?
Quales erunt tenebræ? totus apparatus
mundi, & fundamenta eius, sunt instrumen-
ta cæcitatæ, & obtundunt aciem iudicij; su-
perbia, gula, libido, inuidia, ambitio, iracun-
dia: quibus accedit perfidia; ut ipsum cui
magis

magis fauet, velut Iudas Christum, osculo suo tradat perditioni, & potestati tenebrarum.

Fallax mundus est: suam gloriam, quæ nihil est, summo pretio vendit. Parum esset, si nihil solùm esset, nisi ignominia esset: gloriantur homines, quorum oporteret puduisse: diuitias cuiq; mentitur permanuras contra fidem experientiæ, cum per tot manus transferint, vt ad eas venirent, quibus nunc possidentur. Bona simulat, quorum singula non minùs sunt quàm trina tormenta: adeò superant in mundo mala & angores, vt sesquiduplo sint cruciatus & tormenta affligendi plura, quàm res sint in illo, & quæ bona putat. Vnaquæque res antequam habeatur, vt obtineatur, angit sollicitudine & labore; postquam obtenta est, timore & curis ne amittatur; at iam amissa, dolore & carentiâ eius. O veritas cælestis, quid magni agam, si non desiderem hoc mendaciorum & angorum chaos? Si relinquam pro te rem tam vilem; quæ propter se aut propter me relinquenda esset? Ethnici plures Philosophi reliquerunt mundum propter pacem suam: cur non relinquet fidelis propter gloriam suam, & tuam? Illi reliquerunt mundum, quia in se contemptibilis: cur Christianus non contemnet, quia tu inæstimabilis, & gloria,

58 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
ria, quam sperat, sine pretio sit? Et si bonus
esset mundus, stultum esset si præponeretur
illi rei, in quâ est omne bonum.

CAPVT XI.

De modo acquirendæ pacis.

NON potes benè viuere, nisi continuò
moriaris, & vincas naturam tuam: non
poteris habere pacem, nisi te oppugnes: hæc
via lætissimæ libertatis. Cura alterius volun-
tatem facere libentiùs quàm tuam, & num-
quam infensus eris: ama potiùs minus habe-
re quàm plus, & de nemine querèris: elige
semper inferiorem locum, & subiici vniuer-
sis, & vix tristis eris: exopta pati, & ferre
aliquid pro IESV, & neminem inuenies gra-
uem: in omnibus Deum quære, vt in te eius
voluntas fiat, & numquam turbaberis. Si al-
terius hominis voluntatem debes potiùs fa-
cere, quàm tuam; cur non diuinam volunta-
tem facies, & gaudebis, si in te impleatur?
Obserua hæc in corde tuo, vt perpetuâ pace
fruaris. Non potest obrineri vera tranquilli-
tas, nisi per contemptionem mundi, & victo-
riam nostri. Duplici modo hoc fieri potest, si
vim tibi inferas contra id quod tibi videtur
in mundo aut in naturâ bonum & delectabi-
le; aut si cognoscas non esse bonum, & iudi-
ces